

MATHIAS EPISCOPVS SPIRENSIS.



MAthias ex Ranungorum familia oriundus in Heidelbergensi Gymnasio adeò profecrat, ut sua eruditione sibi magnum nomen compararit. Huic eruditioni naturalis prudentia & in rebus agendis mira dexteritas cum adiuncta felicitate accedebat. Itaque Fridericus Rheni Palatinus eum sibi Cancellarium elegit, atq; per eum res maximas expediuit. Cū in ea functione gnauiter pergeret, à Collegio Spirensi eius Ecclesiæ episcopus uocatus fuit 1464. Eam uocationem ipse suscepit, atque Episcopatum Spirensim egregiè auxit. In primis autem sibi ciues Spirenses, cum quibus ipse & antecessores aliquandiu multas contentiones habuerant, reconciliauit. deinde arcem Mariatraudt ædificauit. postea S. Germani monasterium restaurauit, atq; S. Mauritiū templum Spiræ renouatum ipsiis inhabitandum concessit. Cum hoc modo per 14 annos huic ecclesiæ præfuisse, atq; plurimum ædificijs exornasset, tandem 1478 moriens, Ludouicum successorem accepit. An. in Spir. Episc.